

Gilles Dahan, « Une introduction à la philosophie au XII^e siècle. Le *Tractatus quidam de philosophia et partibus eius* », *Archives d'Histoire Doctrinale et Littéraire du Moyen Âge*, XLIX (1982), p. 155-193 ; éd. p. 180-193.

[source : Paris, BnF Lat. 6750, f. 57v-59v]

[p.190]

TRACTATUS QUIDAM DE PHILOSOPHIA ET PARTIBUS EIUS

Philosophia aliter describitur secundum nominis ethimologiam...

(...)

[p.182]

Musica autem in mundanam, humanam, instrumentalem separatur, iuxta quam divisionem sic describitur : Musica est scientia perpendendi [p. 183] proportionem ad cognitionem concordie et discordie rerum. Secundum vero tertiam partem, id est instrumentalem, sic describitur : Musica est scientia perpendi proportionem ad cognitionem consonantie et dissonantie. Appellata est musica quasi mosaica, a greco quod est *moys*, id est 'aqua', unde Moyses, quoniam ex aquis raptus est. Hanc ethimologiam sortita est, quoniam in ydralliis reperta fuisse dicitur ; ydrallia vasa sunt aquatica, in que offendens musicam reddidit consonantiam.

Mundana alia consistit in epemeritis, que consideratur in numero, pondere et mensura, alia in planetis, que ex motu, situ, natura et effectu ipsorum perpenditur, alia in temporibus, que in annis, mensibus, ebdomadis, vicissitudine lucis et noctis reperitur. Humana alia consistit in corpore, alia in anima, alia in utriusque compactione. Et ea que in corpore, alia in humoribus, alia in complexionibus. Humores autem sunt quatuor : sanguis colera, melancolia, flegma.

(....)

[p. 185]

Instrumentalis, alia metrica, alia rithmica, alia melica. Metrica est que [p. 186] certa pedum dimensione astringitur. Rithmica, que certis sillabarum distinguitur numeris. Has quidam instrumentales esse abnegavit. At quod dicimus quoniam, etsi instrumentis artificialibus non celebrentur, idcirco non minus instrumentales approbantur utpote que naturalibus, id est novem vocis instrumentis, exercentur, que sunt : duo pulmones, plectrum lingue, cavum gutturis, quatuor principales dentes, coniunctio duorum labiorum. Inde est quod a poetis novem Muse conficte sunt, quibus Mercurium prefeceerunt, et Mercurio et Musis Apollinem. Tamen a quodam dictum est : « Musas ducit Stilbon Archas, anteit Appollo ».

Melica que in melodiis consideratur, sic appellata a greco quod est *melos*, id est 'dulce', et hoc idem est quod armonia. Est autem armonia discordium vocum concordia, et hec separatur in diatonicam, cromaticam et enarmonicam. Diatonica constat ex duobus tonis et semitonio. Cromatica ex trimitonio et duobus semitonis. Enarmonica ex ditono et diesi. Diesis autem est minor pars limatis, id est minoris semitonii. Diatonice sunt .viii. modi : autentus protus, plaga protus, autentus deuterus, plaga deuteri, autentus tritus, plaga tritus, autentus tetrardus, plaga tetrardi. Est autem musice effectus admirabilis. Legitur enim quod enarmonica suis strepitibus facile furem excitat et melodiis pacem furentibus et tranquillitatem infert. Unde etiam in bellis diversa sunt genera cornuum : quedam excitativa et non pulsiva, ut

sunt tube et huiusmodi ; quedam sedativa et repulsiva, ut sunt litui. Cromatice vero tanta est efficatia quod cito dissoluit aliquem et cito in libidinem trahit precipitem. Hoc autem Lacedomones experti sunt, qui quemdam musicum ut liberos suos erudiret advocantes, ipsum postea exilio deputaverunt : nimirum, quoddam melos mentibus eorum intimatum suavitate sua [p. 187] illos intantum demulserat, quod soli lacivie, solis lenociniis viverent attenti.

(...)